

1234, juny, 28

*Guillem de Bevià ven a Pere Gaufred de Madremanya una vinya situada a Madremanya que és a directe domini de Bernat d'Aguiló, pel preu de 30 sous.*

ASD núm. 107, perg. orig., 265 x 150 mm.

Sit notum cunctis quod ego Guilielmus de Beuiano de Gerunda, per me et per omnes meos presentes et futuros uendo et cum hac presenti publica carta omni tempore ualitura liberando trado tibi Petra Iaufrido de Matremagna, filio Petri Iaufridi qui fuit, et tuis perpetuo totam illam meam fexiam uinee de Ualle, quam habeo in parrochia Sancti Stephani de Matremagna, que affrontat ab oriente in uinea Guilielmi Iustichi, a meridie in uinea Bernardi Bouis, ab occidente in camino, a circio in uinea Petri de Clota. Sicut de hiis .IIII.or affrontacionibus predicta fexia includitur, cum exitibus et ingressibus et pertinenciis et tenedonibus et cum terra in qua sedet et arboribus diuersorum generum et curri omnibus aliis in se habentibus sibique quocumque modo pertinentibus, sic tibi et tuis uendo et trado pro triginta solidis barchinonensibus, ualente marcha argenti .LXXXVIII. solidos, de quibus recognosco me a te bene ese paccatum, renunciando excepcioni non numerate peccunie, et si amplius ualet dicto precio, totum gratis et ex certa scientia tibi dono, renunciando expresse auxilio et beneficio illius legis qua deceptis ultra dimidiam iusti precii succurritur. Et de meo iure ac potestate in tuum trado dominium et potestatem ad omnem tuam tuorumque uoluntatem omni tempore ibi et inde faciendam, saluo iure Bernardi de Aquilone, cui dabis inde fideliter de expletis .I. tascham sine aliquo retentu quod inde non facio, omnibus meis uocibus et iuribus et omnium meorum in perpetuo extinctis et penes te remanentibus; et conuenio tibi et tuis dictam uendicionem Semper facere habere et tenere in pace et esse deffensor et garent contra cunctam uiuentem personam, et de euiccione et de omni interesse obligo tibi me et heredes meos et successores et omnia bona mea habita et habenda ubique; et iuro super sancta .IIII.or Dei Euangelia manu mea propria tacta hec omnia superius scripta semper rata et firma habere et in perpetuum obseruare et non in aliquo contrauenire iure aliquo uel racione, et si aliquo iure scripto uel non scripto siue exceptione uel occasione aliqua in futurum huic contractui obuiam ire possem, illi iuri penitus renuncio.

Actum est hoc .IIII. kalendas iulii anno Domini .MCCXXX. quarto.

Sig+num Guilielmi de Beuiano, qui hoc firmo et laudo. Sig+num Bernardi de Talata. Sig+num Petri Ollerii. Sig+num Raimundi de Hermedans. Sig+num Bernardi de Aquilone, qui predicta laudo et concedo, saluo meo iure per omnia et in omnibus.

(s. *man*) Arnallus de Sancto Martino, qui hoc scripsit mandato Bernardi Stephani, Gerundensis canonici et publici notarii, cum litteris dampnatis in .I. linea et in .III. Bernardus Stephani, Gerundensis canonicus et publicus notarius, subscribo (s. *man*).

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 226-227